2.

ORATIO:


Quam, Papam esse Bestiam quæ non est & tamen est, apud Iohan: Apoc. 17. ver. 8. in fine probantem, & eiusdem superioritatem ex jure ciuili breuissimè refutantem

(·.·)


5. *Nouembr. liberationi regia consecrata*


In Nobiliss. & antiquiss. Oxoniensi Academia publicè recitauit

Adam Reuter. *Cotb. L.*



LONDINI
Excusum, typis *Humfredi Lownes.* 1610.





Viro Illustr. nobilitate rerumque experientia præcellentissimo, Domino *Thomæ Egertono*, magnò Angliæ, vt & Oxoniensis Academiæ Cancellario:

Reuerendo item Clarissimoque viro, Dom. Iohanni King, Ss. Th. D. Vicecancellario, reliquisque eiusdem Academiæ Collegiorum Aularumque præfectis Reuerendis, Consultissimisque, Dominis fautoribusque suis humil. obseruanterque colendis.

VIri, rectè temporis filia Veritas denominata est. Nulla nãque certior prophetiæ, quam completæ, explicandæ ratio est: cuius vis sacra & efficacia tanta, vt nullo alio modo Papã Antichristum esse demonstrari, quam præsentis temporis ad prophetica Iohannis *verba applicatione, poterit. Quod licet ex ipso oratiunculæ nostræ breuissimo cursu manifestissimũ, defuturi tamẽ non sunt, qui papatui mancipati veritatem illam conficta hominum opinatione oppugnaturi sunt: Contra quorũ insanam contentionem & tradititiam fictionem, quos alios quam vos opponerem? Præter id enim, quod religionis veræ amor vester constans purusque orbi notissimus, secus si facerem, vobis iniurius, mihi ipsi planè essem iniquus. Iustum namque vt*

ad dominum redeat quod fuit ante suum. Aequum, ingratitudine legis Persicæ malum nullum sibi accersere. Suscipite igitur, Viri, serena fronte hoc obseruantiæ, & gratitudinis erga vos meæ testimonium, & huius tenuitatem æquitatis & iustitiæ maiestate excusate. Valete. Oxoni. 5. Nouemb. Anno 1610.

V. N. & R.

Obseru.

Adam Reuter.



ORATIO.

HÆc, hæc est dies quam fecit Dominus, exulte- Psal. 118. 24.
mus & lætemur in ea. Hæc hæc est quies quam fecit Dominus, ne contristemur aut conturbemur in ea. In hac die quies est, in hac quiete dies est. Deus ipse in hac die nostra quies, in hac quiete nostra dies est. O beatissima dies! O dulcissima & sacratissima quies, in qua & dies & quies nostra Deus ipse est! Quo igitur verbo, aut quo nomine, aut quo vocabulo dies hæc quies hæc à nobis indigetanda? Num Halcyonia dicemus, A. Gell. lib. 3. c. 10.
quibus Halcyones hyeme anni in aqua nidulantur? Num Idem lib. 5. c. 12.
Dijouem Lucetium? Num diem talem albo quæ veniat signanda lapillo? Omne infra rem hanc verbum est, quia nul- Plin. lib. 7. c. 4.
lum ad rem ipsam significandam satis sufficiens est. Si e- l. 7. C. codic.
nim verba rebus ipsis correspondere conuenit, neq; halcyonia, neq; Dijouem Lucetium, neq; albam, ad exprimendum id & quod volumus & quod debemus, dixisse suffecerit. Vnde enim, quæso, dierum illarum apud antiquos tam diligens annotatio, tam scrupulosa obseruatio, tam superstitiosa denominatio? Non certè tam à factis & gestis, quàm à nondum factis, nondum gestis: imò non tam pro benè gestorum iucunda recordatione, quàm præ malè gerendorum moesto timore. Quid enim annon ex tempestatis imminentis periculo ominoso, præsentis serenitatis reuerenda oritur obseruatio? præteriti læti temporis religiosa celebratio annon ideo, ne futuri tristis nos sollicitet

 re-

recordatio? A futuro malo, ſtultè impius in arca qui lati-
tat adoratur Iupiter. Futurum autem malum, malo, præ-
ſens bonum præſens facit malum. Ita autem bonum, ſi
bonum, non niſi ex futuro malo bonum eſt. Ita autem
quod eſt, ſine perturbatione & metu bonum non eſt, quia
ita quod eſt niſi ex futuro incerto, imò ex futuro certo, in-
grato tamen & iniucundo, gratum & iucundum non eſt.
Rebus in aduerſis quæ iacuere iuuant. Quis enim, niſi infe-
lix poterit dici felix? Nulla virtus, niſi vitio colluſtretur.
Nulla medietas niſi extremis coërceatur. Nulla halcyonia,
niſi poſt ſeptem dies tempeſtate ſubſequente. Nullus Di-
jupiter, quem non excipiat & commendet Vejupiter. Nul-
la dies alba, quam non illuminet atra & religioſa. Hanc au-
tem noſtram Halcyonia dixiſſe, diffidentiæ eſt: Dijouem,
impietatis eſt: albam Irreligionis eſt. Quia & dies & quies

Laërt. lib. 1. vit. Phil. in Thal.

noſtra Deus ipſe eſt. Sed quid dixi dies eſt? Interrogatus
Thales Mileſius à quodam, ſciſcitanti vtrum prius factũ
eſſet nox an dies. Nox, reſpondit, vna prius die. Num i-
dem & nos de die hac affirmabimus noſtra? aut num diem

Lib. r er. hum. quem de dieb. ſcripſ. ap. Gell. lib. 3. c. 2. & Macrob. lib. 1. c. 1.

hanc cum M. Varrone & Romanis à media nocte ad proxi-
mam mediam noctem diuidemus? aut cum Athenienſibus
à ſole occaſo ad ſolem iterum occidentem definiemus? aut
cum Babylonijs ad exortum ab exorto? aut cum Vmbrijs

l. More. 8. ff. feriis.

à meridie ad meridiem? In Deum cadere tenebras adſtru-
ere, irreligioſum eſt; vt cui & nox ipſa dies eſt, & tenebræ

Pſal. 139. v. 11.

lux. Deum indiuiſum diuidere, incircumſcriptum diffin-
dere, blaſphemum eſt. Sine nocte igitur & ſine tenebris
dies hæc eſt; ſine occaſu diei exortus, ideoq; & ſine meridie
eſt. Miraculoſa dies pugnæ Ioſuæ, & talis quæ non habuit

Ioſ. 10. v. 12. 13 14.
2. Reg. 20. v. 9. 10. 11.
Eſ. 38. v. 8.

ſimilem à condito tempore: miraculoſior noſtra: miracu-
loſa dies morbi Ezechiæ Regis: miraculoſior noſtra. Illam
namq; bellum cruentum cum dura ſeruitute: hanc triſtis
mors, vtramq; tenebricoſa nox ſequuta eſt. Noſtra hacte-

nus,

nus, Deo immortali sit gloria, sub pacifico Rege nostro, Fidei defensore, superstitionis supplantatore, sine bello incrueta, sine seruitute læta, sine morte beata perdurauit & perdurat:

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaq; Faustitas, Horat. lib. 4. od. 5.
Pacatum volitant per mare nauitæ,
Culpari metuit fides.

Nostra hæc sine nocte sine tenebris est, sole semper adscendente, nunquam descendente, sole semper splendescente, nunquam deficiente, perpetua fuit & est. Dies enim nostra Deus est, qui immortalis est. Certat certè huius diei nostræ cum perpetuitate bonitas, cum bonitate perpetuitas. Prima namq; creationis dierum initia si assumserimus & considerauerimus, singulæ illæ dies singulas suas habent à Spiritu sancto sibi attributas bonitates, nulla illarum sine mutabili vicissitudine dierum & noctium, suas perpetuitates: vna hæc nostra singularum illarum cum perpetuitate felicissima omnes simul habet bonitates. In æternas tenebras nos omnes omnemq; Dei Populũ præcipitare secum flagranter cupiebat antiquus serpens impiâ & tartareâ conspiratorum flammâ die hac: hac die, Satana in perpetuas tenebras præcipitato, æternæ luci nos restituit alma Dei bonitas. Lux enim hac die facta est, & ea valdè bona. Cœlum cum Terra mixtum, vtrumque, vt sibi sic & nobis ereptum gehennali parricidaliq; flammâ parricida destructor ardenter nitebatur die hac: hac die destructore destructo & cœlo Dracone expulso, nos cœlo, cœlum nobis consecrauit infinita Creatoris benignitas. Cœlum enim hac die factum est, & id quidem valdè bonũ. Terra hac die facta est & herbæ & gramina campi, & ea omnia valdè bona. Solem ipsum & omnem stellarum innumerum pellucidum exercitum impio fumo infernalis proditionis quo auferret nobis sollicitè quærebat tenebrarum

Gen. 1. v. 3. cũ seqq.

rum princeps die hac: hac die tenebrarum principe ad æternas tenebras condemnato, ſplendidiſsima nobis conſeruauit orbis lumina, ſumma Dei Opt. Max. paternitas. Lumina enim hac die, & diei & nocti præſidentia facta ſunt, & ea quidē valdè bona. Parricidali & nefandâ flāmâ aëra volucribus volatilibus, maria piſcibus natātibus orbata anxiè ſatagebat, Diabolo ipſo peior impietas die hac: hac die homicida interfecto aëra volatilibus, maria natantibus aucta, nobis vindicauit, donauit, altrix Opificis pietas. Volatilia enim & natantia facta ſunt hac die, & ea quidem valdè bona. Diabolicâ ſpirante flammâ interfecta eſſe connitebatur ſtrenuè omnia in terra ſpirantia animalia impia Satanæ ſceleſtiſsimi ferocitas die hac: hac die impia flāmiuoma conſpiratorum turba confuſa, æternum durante & ſpirante animalium benedictione maximâ terram noſtram omnem fœcundauit omnipotens diuini Numinis æquitas. Pecora enim campi hac die facta ſunt, & ea quidem valdè bona. Imaginem Dei, Draco tenebrarum vinculis ligatus, fulgurante flammâ ex orbe Chriſtiano, vnà cum Chriſto ipſo, quantum in ſe, ſublatum obnixè laborabat die hac: hac die, Draconem ipſum imagine Dei deſtitutum à facie ſua reiecit benedicta, ſancta & glorioſa Trinitas. Homo enim hac die ad imaginem Dei factus eſt, & is quidem valdè bonus.

O quàm miraculoſiſsima igitur dies hæc! ô optima! ô benedictionibus diuinis pleniſsima, abundantiſsima! Sex dierum ſpacio Deus Verbo ſuo in prima hominum & creaturarum creatione laborauit: hac die, vna die vnoque momento dierum illarum ſex laborem benignus benedicens abſoluit: hac die ipſe creator in nobis creaturis ſuis miſericors quieuit. In noſtra enim liberatione & benedictione facta eſt illi ſacratiſsima quies: & noſtra ipſe liberator ſacratiſsimus factus eſt quies: quies carens fine, quies

tuta à conturbatione, quies ab omni exemta commotione. Quia et dies noſtra et quies noſtra Deus ipſe eſt. Quid igitur? In hac die num genio indulgendum? in hac quiete nū otio torpeſcendum? In hac die ambulandum: in hac quiete vigilandum pugnandum. Illud veritatis, hoc pietatis eſt. In veritate igitur ambulemus, in pietate vigilemus pugnemus, vt mendacium et impietatem, ex qua hodierna liberatione erepti ſumus, euitemus. Ambulemus inquam & vigilemus. Nam & cœlum Gigantes habet inimicos. Nec noſter hic ſine ſerpente paradiſus eſt. Præteritas namque cruentas lachrymas florentiſsimæ regionis huius, vt & aliarum circummurancarum ſicco quod aiunt pede prætereamus, hoſtis noſtri inſidiarum parricidalium præſentiſsimarum, ipſum caput noſtrum, à Deo ipſo in regem nobis vnctum (nobis dico, vt Regi Sereniſsimo iuratam meam obedientiam fidemque, ſubditus, innuam, vt vobis, quorum ſingulari fauore vtor fruor, gratias gratus referā) omni exceptione maior teſtis eſt, eo ipſo tantum quia rex eſt. Sed heu perditos, heu impios, heu deteſtandos parricidarum, regicidarum, mores! Dicamnè an taceam? Dubius ſanè hæreo. Agrigentini, *vt eſt apud Tatianum in orat. cō-tra Græcos*, faciem Phalaridis anthropophagia contaminatam (qui lactantes adhuc infantes vorauit ὅς, τοὺς ἐπιμαστιδίους θοινώμενος παῖδας) intueri abhorrent. Quid igitur nobis faciendum? Num et ſimul noſtrum erit anthropophagos, imò βασιλεύ-φαγος (liceat namque nouis, ſed vtinam nouis! facinoribus, noua nomina imponere) verbis noſtris tacere, & ſcelera illorum cum ipſis ſceleribus æternum ſepelire, qui tam rabidi, tam inhumani, tam impij, tam ſceleſti, vt eorum ſacrilego palatui vel ſecundum à rege occidiſse, plebeium ſapiat, ſordes ſint: quibus, præter in regē ſolū, imò in regnum integrum parricidales manus immittere, manus in crucem mittere eſt? Facinora præterita ſepelire

Ouid. 1. Metamorph.

pelire humanum, futuris & imminentibus pro virili obuiare, iustisimum est. Nec enim adhuc parricidij finis est. Vnius vel alterius regij sanguinis sacratisimi et innocentisimi effusione, per damna famem renouat Bestia. In vnius vel alterius regij sanguinis internecione, quid reliquis in eadem causa constitutis expectandum, demonstrat Babylon meretricia. Nulla namque, certisimè, futura pax, nulla securitas, quamdiu eadem illorum hominum natura manebit. *Quamdiu enim durat Romuli pastoris vrbs, tam diu inest quadam adhuc ex pastoribus feritas, spirans indomitum, inquit eleganter Florus. Quis quoque vereatur scelus, cuius in suggestu complicem videt, ait bene Theodoricus Rex apud Casiodorum.*

Lib. 1. histor. Rom. c. 22.

Lib. 6. Variar. Epist. 4.

Et quomodo poterit esse pax, aut quomodo securitatē reges sibi polliceri poterunt ab illis, quorum iam in religione proditio pœnitentia, conspiratio confessio, regicidium martyrium est? Quorum in superstitione impia regicidium non commisisse, regicidium est? Regibus mortem non intulisse, mortale peccatum est? Quorum in superstitiosa impietate Deum ipsum solio non deturbasse blasphemæ impietatis est? Regi legitimo & ita Deo ipsi obedientiam, iuratam licet, præstitisse, maiestatis læsæ enorme, & sacrilegio proximum crimen est? Quam multis & infinitis parasangis (retulisse non iuvaret, si conspiratores illos pessimos fecisse puderet poeniteretue) conspiratorum horum impietas Ethnicam antecedit impietatem: nec antecedit, sed cum horum conspiratorum collata, laudanda certè & commendanda pietas est. Admodum ad vtrumque firmiter probandum quadrat quod legimus Plutarchi Aegide: Βασιλεῖ Λακεδαιμονίων οὐδὲ οἱ πολέμιοι ῥαδίως ἐν ταῖς μάχαις ἀπαντεόντες προσέφερον τὰς χεῖρας, ἀλλ' ἐπετρέποντο δεδιότες καὶ σεβόμενοι τὸ ἀξίωμα. διὸ καὶ πολλῶν γεγονότων Λακεδαιμονίοις ἀγώνων προς Ἕλληνας εἷς μόνος ἀνῃρέθη, πρὸς τῶν Φιλιππικῶν δόρατι πληγεὶς περὶ Λεῦκτρα Κλεόμβροτος.

Regem

Regem Lacedæmoniorum, ne hostes quidem temerè, cum occurreret eis in acie, attingebant, sed deflectebant, verentes venerantesque eius maiestatem. Itaque multis in conflictibus, quos conseruerunt cum Græcis Lacedæmonij, vnus ante Philippi auum lancea ictus occidit in Leuctris Cleombrotus. Heu! ibi Ethnicus, hic Christianus qui esse vult & videri: ibi impietas, quia paganismus: hic pietas quia Christianismus audire vult: ibi impius Ethnicus manus retrahit; hic Christianus pius manus insert; ibi Ethnicus impius manus retrahit à rege: hic Christianus pius manus infert regi: ibi Ethnicus impius manus retrahit à rege hoste: hic Christianus pius manus infert regi amico: ibi Ethnicus impius manus retrahit à rege hoste in acie pugnante: hic Christianus pius manus infert regi amico pacē procuranti: ibi Ethnicus impius manus retrahit à rege hoste in acie contra se insultante, pugnante: hic Christianus pius manus infert regi amico pacem procuranti & sibi & inimico etiam ipsi. Ibi Ethnicus impius manus retrahit à rege hoste in acie contra se pugnante sibi insultante, ne impius sit & habeatur: hic Christianus pius manus infert regi amico pacem & sibi & ipsi quoque inimico procuranti, vt pius videatur & deuotus. Quæ igitur ab hoc genere hominum, quæ ab hac latrina impietatū, quæ ab hac parricidali spelunca latronū, securitas, quæ pax? quæ obedientia? Nulla: maxime autem nobis & Regi nostro serenissimo.

——— εἰ δὲ φονεύοι
μήτηρ, ἐν τίνι νῦν πίστις ἔτ' ἐστὶ τέκνων — Arch. in Epigr.

——— *si necat autem*
Mater, cui prolem credere posse putas?

Quo quis in superstitione deuotior, eo in refraganda obedientia debita contumacior, peruicacior. A maiore superstitione maior timor. Quo maior autem timor, eo maior in pietatis amicis debet esse in eadem defendenda feruor.

Et quo maior Christus Antichristo, eo maior Christi militibus in oppugnando Antichristo oportet sit ardor. Et certè in hoc arduo defensionis Ecclesiæ Christi negotio, ad quod exsequendum nos hodie præseruauit diuina Dei benignitas, Antichristi supplantatoris doctissima & sacratissima instruxit Maiestas, tantum puto nos dare Antichristo, quantum non detrahimus Antichristo: imò econtra tantum nos detrahere Christo, quantum non detrahimus Antichristo. Bestiam non oppugnasse, contra mulierem pugnasse est: pro muliere contra bestiam non pugnasse, pro Bestia contra mulierem pugnasse, & ita mulierem oppugnasse est. Bestiæ quantum accedit, mulieri tantum decedit. Hîc non vigilasse pugnasse maledictum esse est, quia non pugnasse deseruisse, deseruisse prodidisse, prodidisse occidisse, occidisse maledictum esse est.

Contra maledictum igitur vnicum & solum remedium vigilasse pugnasse est: vigilantem pugnantem aut turpiter deseruisse, aut adunco naso suspendisse quid aliud quàm proditionis est? vtrumque quid aliud quam impietatis & Antichristianitatis & Esauiticum est? Vigilandum pugnandum itaque? Non solis sacræ paginæ reuerendis interpretibus: non solis sacratissimæ iustitiæ doctissimis sacerdotibus: non solis arcanorum naturæ scitorum solertissimis investigatoribus: non solis sapientiæ humanæ diuinæ acutissimis indagatoribus: Communis enim causa, communia arma.

Ignoscite igitur & mihi, si exemplum Regis nostri Serenissimi vestrumque sequutus piissimum, in die hac nostra pro die hac nostra, in quiete hac nostra pro quiete hac nostra vigilauero pugnauero, dateque, Viri, Reuerentia, eruditione, virtute, eloquio, sapientia ornatissimi, veniam, vt quod ipsi facitis, faciam & ego, vt ad quæ invicta me cogit necessitas, efficiam, vt contra aduer-

sarium

ſarium inſtantem inſultantem iuris naturæ beneficium habeam, vt, ne hoſtem attraham, ſi non propellam. Et licet temeraria videri poſſent hæc mea, quibus contra hoſtem vtor, pleraq; etiam à profeſsione mea aliena, arma: tamen pro temeritate excuſanda, ipſa, qua vos à natura ornati eſtis, apud vos, me vel tacente, deſudabit humanitas: veniam poſtulabit impetrabit inſtans qua ſimul vobiſcum in communi hoc vrgeor periculo, neceſsitas: iniuſtitiam omnem ab hoc conatu meo ipſa depellet quam adhuc diuinam mentibus veſtris abundanter ineſſe quotidie experior naturalis in ſyncerè iudicando æquitas: iuſtiſſimum prædicabit ipſa cuius iuſſu hæc facio, diuini præcepti in republ. cui iuraui iuuanda, pro virili, authoritas. ὀυχ᾽ ὄιον τε᾽ αναδλιῶαι πρὸς τȢ Διὸς κεκελευςμένον. *Non licet detrectare imperium Iouis.* Et quis ſine læſione diuini Numinis temerarium diceret eum, quem, vt vigilando ſe defenderet, ipſa cogeret, iuberet, æquitas, humanitas, neceſſitas, authoritas? Quis ſine vituperatione rideret, quem ipſa, vt vigilaret pro ſe, conſeruarat ſumma diuinæ potentiæ in hac liberatione benignitas? Aequalia noſtra hæc arma doctiſsimis non ſunt? Armis hiſce nos armauit is qui ſupremus in hac pugna cauſaq; & ſoſpitator, & victor, & dux Deus eſt. Cum duce igitur Deo quare melioribus nos non inſtruxerit armis, non cum milite, expoſtulandum. Quid quod & ſacra hæc tyrones ſuos habeat militia: &, in magno tumultu & interneciua neceſsitate contra neceſsitatem hoſtemq; extremè deſperatum, vel conatu, vel gemitu, vel arena pugnaſſe imperatorium eſt. Aut num hoſtem contra quem extremè deſperatum eſſe negabimus? Ceu incenſa papyro vltima iamiam moribunda oberrans, & vindictæ nutrimentum non inueniens, ne inulta mori videatur, reuiuiſcens extinguitur flammula: ſic ſi bene calculum poſuerimus, obtrito capite, ne inultus cadat minaci

 cauda

caudâ quem interficiat, ſedulus & furibundus ille antiquus, cum Beſtiâ, inquirit Draco. Quo interitui vicinior, eo furore & ira rabidior. Sed laudanda ſumma Dei in nos charitas, quæ eo ipſo modo, quo nos miſerè laniatos ſatagebat Beſtia, Beſtiam ipſam, & nobis & ſuis adhuc mancipijs vitandam, vincendam, adderem occidendam, niſi iam occiſa eſſet, vtpote quia Beſtia, demonſtrauit. Ex ipſo facto ſceleſtiſsimo regioni huic intẽtato, res manifeſtiſsima. Annon enim hac liberatione nos eſſe in eo qui erat, qui eſt & qui futurus eſt, Deus edocuit; & illũ, qui erat, qui eſt, & qui futurus eſt, in nobis eſſe hac liberatione Creator probauit, quia cõtrà idem Deus aduerſarios noſtros, & omnem conſpiratorum illorum ſceleſtiſsimam turbam parricidalem ſepultã eſſe in gutture illius, qui erat & non eſt, & tamẽ eſt, manifeſtiſsimè conſpiratorum horũ parricidali facto oſtendit, & turbæ illius, eum qui erat, ſed iam non eſt & tamen eſt, principem & hereditatem eſſe, re ipſa, horum ſcelere, orbi toti intimauit? Mirus ſermo: *Non eſt, & tamen eſt*: &: *quæ non eſt, & tamen eſt*, B*eſtia eſt*: quem vel mediocriter argutus omnis reſpueret logicus. Sed aliter is aliquãdo qui ſupra rationem eſt, vt ſit & cenſeatur eſſe talis, loquitur, ſemper tamen & vbiq; verè. Nihil enim ex veritate præterquam ipſa veritas. Eſt igitur Beſtia illa & non eſt. Non eſt? Num non eſſe illã dicemus, quã eſſe, ipſa æterna & immota, quia diuina, adſtruit in ſcriptura veritas? Num non eſſe adſeuerabimus, cuius eſſe, & cuius vivum eſſe, ſuo non eſſe & morte ſua infinita interfectorum miſeranda clamat calamitas? Num non eſſe adſcribemus illi, cuius non eſſe, regum, principum, regionum, populorum, vrbium & prouinciarum deſtruitur eſſe? Num non eſſe adfirmabimus, cuius eſſe teſtantur, pro Regibus ſuis populorum & regnorum, pro principibus ſuis ſubiectorum, pro patribus & matribus ſuis orphanorum liberorum, pro liberis ſuis, filiis

Apoc. 17. v. 8. in fine & in pr.

filiis & filiabus, patrum & matrum orborum, lachrimæ, gemitus, mœstitiæ? Num non esse putabimus, cuius esse semirutorum, parricidali incendio, rudera loquuntur, murorum, lapidum, parietum? Num non esse, iure, vel tantum ratione attribuere poterimus illi, pro cuius non esse innocentum infinitorum è terra ad altissimum clamant sanguines? Contra cuius esse infinitorum millium apud iustissimum vindictam efflagitant mortes? Ratione certè consulta non potest non esse id quod destruit esse. Imò eo fortius esse, quo fortius id cuius per id destruitur esse.! Quomodo igitur Bestia hæc non habet esse vel non est, quæ omne esse redigit in non esse? Scriptura & Spiritu sancto consultis num idem statuendum? num rationi adsentiendum? Non sanè. Rationi namque contra veritatem assentiri, quia contra veritatem, mendacium est: rationi contra scripturam, quia contra Deum, impietas est. Quid ergo? Hîc dicendum, imò eo ipso quia ita est, quia & professione & confessione & operatione, parricida, regicida, conspirator est, non est. Quod enim ita est, vt Bestia hæc, parricida scilicet, regicida, conspirator, annon de eo quod non sit, rectè dixerimus? Aut num esse adseuerabimus ita quod est, vt Bestia hæc est? Mors & infernus quem immediatè sequuntur, num is est? in sinu serpentem suo qui alit, num is est? Interitus & exitium quem non fugientem venantur, num is est? Lupus quem fovea ante prædam arreptam arripit, num is est? deluvij fluctu ingruente extra arcam qui est, num is est? Cuius iugulum sica percutiens haurit, num is est? Haud quis dixerit, nisi forsitan sit, vt non sit: cum potius adstruendum, talem qui ita est vt Bestia hæc est, antequam ita est, facto tantum, quo esse suum vertit in non esse, non quidem ex necessitate profluente ex esse, sed ex necessitate profluente ex ita esse, excepto, desijsse esse id quod est.

Quid

Quid enim, annon immutabili naturæ ordine necessarium omnino est, vt mortem ante mortem facinore induat, qui spem vitæ ante mortem facinore exuit? Quemadmodum enim ante charitatẽ proximi necessariò exuenda est charitas Dei & ita sui ipsius: sic plane necessarium est vt ante iniustam cædem innocentis Bestia propriam prius exuat vitam, & ita mortem suam antecedat? Ad quid igitur Bestiæ esse? Vt per esse tale perueniat ad non esse: imò vt hoc Bestiæ esse sit eiusdem non esse: imò vt per hoc esse Bestia perueniat ad suum non esse, quod erat ante esse. *Filius enim*, vt ipse fatetur Spiritus sanctus, *perditionis est*, cuius esse ante ita esse non esse est. Antequam enim perdat perditionis filius est: dum autem perdit, per id quòd perdit, id quod ante perditionem est, facit vt sit. Agendo igitur agit vt patiatur id quod ante actionem patiebatur, & suo ita esse efficit vt sit quod erat ante ita esse, nempe non esse. Paradoxon forsitan hoc multis videbitur. Scripturam igitur ipsam sacratissimam testem adhibeamus infallibilem, ex qua si quæsiuerimus quid Bestia sit ante ita esse, non esse respondebit. *Ex abysso* namque. Quid in ita esse? Executio & adimpletio eius quod erat ante ita esse. *Ex abysso* namq; *in perditionem*: & ita à perditione, per perditionem, in perditionem: à non esse per ita esse ad iterum non esse. Erat, namque in scriptura à Spiritu sancto præponitur ipsi ita esse quod non esse est. *Erat*, dicit textus, & *iam non est, & tamen est*. Quales igitur et illi futuri sunt, qui vnà cum Bestia illa ita sunt, vt non sint? Miserrimos sanè eosdem puto omnium mortalium, qui adeò Bestiæ voluptate capti, adeò fallaci eius esse, quod non esse est, fascinati, vt ad admirationem vsque et papè exclamationem rapti, ex crudelitate eiusdem, & eiusdem & suum videre nequeant extremum interitum: miserrimos, qui eiusdem dolo parricidali dolosè circumueniri, id quod non est, quasi

non

2.Thes.2.v.3. cum seqq.

Apoc.17.v.8.

d.v.8.

d.v.8.

non tantum esset, verum quasi Deus ipse esset, flexis genibus adorare, osculo pedum reuereri non erubescunt. Quid enim aliud boni à Bestia Bestiam adorans, quam quod in patrimonio et esse est Bestiæ? Non nisi perditio à perditionis venit filio. Et à malo impossibile est vt oriatur nisi malum: quia à Deo solo bona cuncta procedunt, et ea quæ à Bonitate ipsa valdè dicuntur bona: quæ tamen bona ab ijsdem, qui Bestiæ charactere notati eandẽ adorant in tantum absunt, vt ex iam deducto rationis certissimæ immoto fundamento asserere non dubitem, quod nec Deus ipse in illorum inueniatur congregationibus. Quid enim magis manifestũ, quid magis verum, quam quod ipsa Essentialis Veritas apud Euangelistam sacratissimo ore protulit, quòd nimirum Deus sit Deus viuentium, et non mortuorum. Si viuentium tantum, cui dubium, Deum apud hos non esse, qui, dum ita sunt, non sunt, quia mortui sunt, dum ita viui sunt: qui in hoc sunt, vt non sint, quia dum hoc sunt, non sunt. Quid magis apertum & notum, vel mediocriter tantum in sacris literis versato, quàm mortuorum nullas esse posse in Deum laudes, nullas pias deuotiones, nullas orationes? Si igitur hi, de quibus nos loquimur, & è quorum parricidalibus manibus Deus hac liberatione nos saluos eripuit, sibi ipsi conseruauit, consecrauit, mortui sunt, & ita non sunt, quales eos esse iam ante diximus & probauimus, num illorum aliqua in Deum poterit esse devotio, laudatio, oratio? Non laudant Deum qui in sepulcris sunt. *Nunquid enim mortui*, inquit scriptura, *laudabunt te? & qui in sepulcris sunt, num celebrabunt nomen tuum?* Et alibi inquit Spiritus sanctus: *Laudabo Dominum in vita mea, & quamdiu fuero.* Et iterũ alibi: *Omnis spiritus, seu omne quod viuit, laudet nomen Domini.*

Gene. 1. v. 5

Mat. 22. v. 32.

Psal. 88. v. 10 11. 12.

Psa. 150. v. 6.

Oratione autem, laudatione et gratiarũ actione cessante, vel vt hîc planè absente, quid aliud quam non esse, hoc est,

peccatum adesse poterit, & propter peccatum ira Dei æterna, quæ nihil certè aliud quam ipsa mors æterna? O iterū ergo iterumque miserrimos illos, regicidiis & peccatis qui ostendunt quod sint, & ita ostendendo quod sint, sese præcipitant in æternum quod non sint. Sed non est, & tamen est. Quia id quod sine verbo est non est, quia nihil est. Antequam enim Deus loqueretur, nihil erat. Sed postquam dixit: Fiat: factum est omne. *Dixit* enim *& creata sunt*

Gen.1. ve.3. cum seqq. quæ sunt. *Verbo Domini cæli creati sunt, & spiritu oris e-*

Psal. 33. ver. 6. & 9. *ius omnis exercitus eorum. In principio erat Verbum, &*

Ioh. 1.v. 3. *omnia per Verbum facta sunt, & sine eo factum est nihil.*

Soliloq.c. 3. Vnde benè Augustinus: *O verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil. Verbum, quod est ante omnia, & ante quod nihil. Verbum creans omnia, sine quo omnia nihil. Verbum regens omnia, sine quo nihil sunt omnia.* Si nihil est, vt est, quia sine verbo est, sine quo quod est, nihil est, simul & malū est. *Omnia*, inquit iterum Au-

Soliloq.c. 5. gustinus, *quæ facta non sunt, bona non sunt, quia omnia quæcunque facta sunt, bona sunt, & ideo mala sunt quæ facta non sunt, & ideo nihil sunt, quia sine verbo factum est nihil.* Sine verbo est, et creante, et à creante nobis creaturis suis relicto. Nam et sine hoc quod est nihil est, et ita non est, in tantum, vt et in ipso adhuc integritatis naturæ nostræ statu in Paradiso opus fuerit verbo: *Ne comederis*

Gen.2.v.17 *de arbore cognitionis boni & mali:* nulla certè alia ex causa, quam quia vel tum homo sine verbo esse nō poterat. Quid igitur mirum, si iam post lapsum in statu naturæ corruptæ Deus ad sustentationem creaturæ et plasmatis sui duplici iterum verbo, et iustitiæ et gratiæ, seu legis et Euangelij, vsus fuerit? Nam et certè hic nulla alia est huius verbi dati causa, quam quia etiam post lapsum sine neutro esse poterat. Et sanè tanta vtriusque verbi creatoris et à creatore dati est affinitas, tamque arcta conglutinatio, vt omnia ab

illo

illo licet sint, sine hoc tamen si sint, Christianè loquendo, non sint. Ex qua alia enim causa ipse discipulus ad Verbum creatorem: *Quorsum*, inquit, *ibimus, cum tu habeas verba vitæ æternæ?* seu verba viua? Aut qua alia ex causa ille Euangelistarum: *Qui non crediderit verbo, non videbit vitam?* Et dati verbi partem illam alteram, legem scilicet qua alia ex causa regius Propheta Dauid encomio longissimo decantat, nominans illā recreationē et refrigerium suum, consolationem suam in tribulatione, pretiosiorē omni auro atque argento, omni melle dulciorem, lucernam pedum suorum, quam quia sine hac nullus futurus erat? *Nisi enim*, inquit, *Domine lex tua & verbum tuum fuisset refrigerium meum, perijssem in afflictione mea.* Tanta quoque est huius verbi dignitas, tanta ad omnium conseruationem æternam necessitas, vt non solum Deus, vt iam dictum, verbo omnia crearit, verbo omnia viuificarit, verū etiam ad Ecclesiæ suæ veræ conuocationem et collectionē, nullo alio medio, nullo alio modo vti voluerit, quam verbo et sermone velociter currente, et vnà cum ijs qui verbū illud habent in æternum permanente. *Docete* enim inquit ad discipulos suos: ne nihilo Ecclesiam colligeret suam, si non verbo: cum sine verbo factum sit nihil. Nec vocauit tantum et collegit sed in verbo, non à carne et sanguine sed à patre Verbi qui in cœlis est reuelante, Verbum Ecclesiam suam fundauit, vt quod solum est petra: (*Verbum namque Domini manet in æternum*: non Petrus) super quam exædificatam Ecclesiam portæ inferorum vincere nequeunt. Nec fundauit tantum, sed in verbo, per verbū in perpetuum et in æternū eandem conseruatam iri, ipsum Verbum affirmauit. *Verbo enim huic qui crediderit mortē non videbit, sed in æternum viuet.* Nec hoc tantum, altius certè verbi huius indaganda auctoritas est et antiquitas, et ita, secundum Tertullianum, ex antiquitate veritas. Tanta igitur

Ioh. 6. v. 68.
Ioh. 3. ve. 18.
Psal. 119. v. 25 35. 40. 50. 52 72. 103. 105.
Math. 28. v. 19
Math. 16. v. 17.
Esai. 40. v. 8.
Ioh. 3. v. 17.
Lib. 4. cōt. Mar.

tur verbi est authoritas vt sine verbo ipsa immortalis non potuerit esse Deitas. Antequam enim crearetur mundi huius caua conuexitas, erat sacrosancta & indiuidua Trinitas. Nulla autem potuit esse in personis Trinitas, nisi fuisset æterni gignentis Patris, æterni geniti Filij, seu Verbi, æterni Spiritus sancti ab vtroque procedentis in essentia vnitas, in vnitate æternitas. *Verbum*, inquit Iohannes, *erat*
Ioh. 1. v. 2. & d. v. 2. *apud Deum, & Deus erat verbum*. Sic igitur gradatim ad-
Ro. 10. v. 17 scendendo: Vnde vita æterna? Ex fide. Vnde fides? Ex
Iohn. 1. v. 18. auditu. Vnde auditus? Per verbum. Vnde verbum? à ver-
Ioh. 1. v. 1. bo. Quid Verbum? Deus. Quid Deus? Is qui est. Est igi-
Exod. 3. v. 14. tur vita æterna ab eo qui est, qui Deus est, sine quo qui est nihil est, quia sine verbo est, sine quo quod est, nihil est. Quò ergo vesaniæ progressus aut prolapsus perditionis filius et Bestia quæ non est et tamen est, vt verbo et prædicatione malitiosè conculcata, impiè relicta, ad cædes, ad parricidia, ad regicidia, ad regnicidia sacrilegè parricidales carnificis manus periurus admoueat, & signo hoc Antichristianitatis suppresso, simplicioribus, quasi Deus esset, ipse Antichristus, pessimè imponat, affirmans & falsissimè adstruens cædibus regum regnorumq; augeri & propagari posse religionem, Ecclesiam augmentari? Ex nihilo id quod in perpetuum permansurum, deduci? Ex peccato regnum Dei exædificari? Antichristi hæc infallibilis nota est.

Deus post primam creationem omnia ab esse producit ad esse: Bestia econtra omnia à non esse, per non esse, ad esse deducere conatur. Et hoc quid aliud quàm supra Deum sese eleuare (alia infallibilis Antichristi nota) & populo Christi sanguine redempto, sub specie pietatis blasphemiā, sub Christi imagine verum Antichristum venditare? Verbo cuncta creare, viuificare, conseruare, Dei & Christi: cædibus velle cuncta creare, viuificare, conseruare, Diaboli &

Anti-

Antichristi est: quia ille, qui semper fuit, est & futurus est, non potest nisi per est facere id quod est: hic contra non potest nisi per non esse efficere, vt id quod est non sit, quia ipse non est, & tamen est: & quia non est, & tamen est, Antichristus & Bestia est, quia vt Deus est is qui est, sic Antichristus est is qui non est, & tamen est, & quia Antichristus & Bestia est, sine vera religione est, quia vera religio sine cædibus, sine parricidiis, sine regicidiis est: id autem quod cum cædibus, cum parricidiis, cum regecidiis est, & blasphemiæ Bestiæ, & Mahometismi infallibilis nota est. Qua enim alia Antichristum depingit nota Spiritus sanctus, quā in mulierem, in filium, in sanctos, sæuitia? Qua alia sacrarum literarum interpres Mahometismum, quam cæde & crudelitate? De illa videatur Iohannes: de hac audiatur Barthol. Apoc. 12. v. 13. 15. 17. Picenus, qui: *Decimo*, inquit, *debemus considerare, quod Alcoranū non est lex Dei. Violenta enim est. Et, vt breuiter dicā, lex hæc propriè potest dici lex cædis & mortis, non solum quod ad æternam mortem homines mittit, sed quod corporali cæde homines cogit credere quæ ab ipsa dicūtur. Et in ipso Alcorano, in c. Emparaca, quod interpretatur Vacca, dicitur, quod in lege Domini non est compulsio. Quæ autem maior cōpulsio, quā cædes? Lex igitur, quæ per hanc homines compellit, non est lex Dei. Ipsi autem Sarraceni vocant eam denominatiuè Elesalem, quod interpretatur lex salutis Dei, quæ propriè debet dici, sicut dictum est, lex cædis & mortis. Et hæc via cōmoda fuit tali legi & legislatori, vt timore mortis corporalis consentiant* (homines) *legi mortis æternæ: sicut econuerso Christiani corporalem mortem contēnentes vitam æternam consequuntur. Vt vidit Mahometus, potius autem alumnus eius Diabolus, legem hāc à lege diuina omnino differre, & ab eo quod in veteri & nouo Testamento, & ad seipsum dissentire, & absq; omni ratione & miraculo manifesta* Confut. Alcor. c. 10.

 men-

mendacia continere, & cum existimaret, multa propter hæc fore quæ ei contradicerent, dedit ipsi Mahomet instrumentum proprium, hoc est ensem ad interimendum, & ipse dedit mandatum in lege vt interimerentur, quicunq; huic legi aduersarentur & non crederent. Et propter hoc non in vno solum capitulo dicitur, sed per totum librum sicut mandatum quoddam vniuersale, Interimite, interimite. Hæc via manifestè contraria est Christo, qui mandat & inimicos amare, & pro persequentibus orare, & eis qui nos offendunt benefacere. Sed Mahometus Antichristi præcursor existens, viam præparauit in mundo perditionis filio. Et mox : *Tria sunt manifestissima signa violentiæ prædictæ legis. Primum est, quod Mahometus illis dixerit, in tantum permanere legem eius, in quantum eis permaneat, & in armis vis & temporalis potentia. Secundum, quando ad doctrinam conueniunt vt legem eos Saracenorum magister doceat, is qui proponere debet verbum, prius nudans ensem nudum manu detinet, & in quantum docet ponit ad terrorem in quodam e-*
N.B. *minenti loco. Tertium signum cædis & violentiæ est, quod Assasinij à Saracenis nutriuntur, homicidæ hominum futuri, quibus ex ipsa actione actiua & passiua vitam æternam promittunt, & mittunt eos per orbem terrarum, vt principes mundi dolosè interimant. Hi autem Assassini castra habēt & arces circa Libtum montem, obediuntq; Sultano Babylonis, qui est caput Saracenorum. Hiq; ordine & legibus Saraceni sunt, & non vocantur Assasini à Saracenis, sed Ismaëlitæ* (melius Iesuitæ) *quasi radix & tribus Saracenorum, & primi defensores & conseruatores legis Mahometicæ. Ad hoc enim præcipuè nutriuntur & instruuntur, vt cædem faciant. Et ex hoc manifestum quod lex hæc non est Dei.*

Hactenus ille non tam Saracenos, quam viuis coloribus ad amussim Bestiam quæ non est & tamen est, & eiusdem

dem ſicarios peſsimos, in principum & regum cædes paſtos & enutritos depinxit, cui & præter infinitos alios ſuffragatur Benedictus Pererius, qui de ſecta Mahometana & de cauſis durationis illius: *poſtremò*, inquit *iſta lex & ſecta non per efficaciam prædicationis, nec per mirabilitatem ſignorum & prodigiorum perſuaſa eſt hominibus, ſed inuecta & intruſa per vim bellicam & terrores bellicos & tyrannicam violentiam.* Et poſt Iun. Brut. Iohannes Faber, Ferdinandi Hungariæ & Bohemiæ Regis, ad Sereniſs. Henricum VIII. Angliæ Franciæ & Hyberniæ, Regem, legatus: *Mahometes*, inquit, *quos dulcedine voluptatum & titillatione carnis permulcere nequit, vi adigere animo ſuo cogitauit.* Quomodo igitur, aut qua ratione, aut qua conſcientia, zelum religionis & eiuſdem veræ propagationem ſacrilegus parricida & regicida ingeminare, quomodo parricidia talia martyrij corona cohoneſtare poſsit Beſtia, religione vera, ex propria crudelitate parricidali conuicta, deſtituta, non video. In religione vera pro religione vera, & ita innocenter mortuum eſſe, martyrium eſt verum, non pro crimine, pro parricidio, pro regicidio iuſtum mortis ſupplicium ſuſtinuiſſe: niſi forſitan facinoroſorum, & latronum, & parricidarū, & Saracenorum condigna meritis mortis pœna Beſtiæ cum ſequacibus martyrium eſt. *Vincenti* quoq; inquit ſcriptura; *& currenti corona datur.* Num autem currit aut vincit, qui, antequam currere incipiat, deſinat? qui antequam vincat, ſi tamen reges occidere vincere eſt, quod nemo niſi homicida primus cum mancipiis ſuis dixerit, ſe ipſum interimat? Aut num is eſt, qui eſt, dum ita eſt? Certè dum ita eſt, non eſt, quia ſine verbo eſt, ſine quo quod eſt, nihil eſt, & ita non eſt. Sine verbo, non tam, vt iam demonſtratum, prædicante, ſed etiam ſine verbo prædicato. Sine hoc enim ſi non eſſet Beſtia, nec eſſet ſine illo. Sed ſine hoc dum eſt, eſt & ſine illo. Quemadmodum enim im-

Diſp. 20. de Antichr.

Vind. cont. Tyr. q. 2. f. (m) 73.

In faſcic. rer.

Apoc. 2. v. 7.

possibile illud esse posse sine hoc, cum ignoti nulla cupido: & cum credere quis non possit, nisi prius audiuerit: *Ex*
Rom 10.v.17 *auditu namque fides est*: sic æquè impossibile hoc posse esse sine illo. Vbi enim ignis, ibi calor; vbi Spiritus & Christus, ibi vita; vbi fides, ibi opera; vbi sponsus, ibi lætitia. Et num non sine verbo prædicato, quia contra verbum prædicatum, cui supra verbum prædicatum traditio est? supra Deum homo? supra veritatē opinio? supra certitudinem incertum? Num non contra verbū prædicatum, & ita sine verbo prædicato est, cui contra verbū prædicatum, & contra Verbum increatum, & contra Verbum incarnatum, pro cruce corona, pro clauibus gladius, pro filio & discipulo carnifex & parricida est? Num non contra verbum prædicatum, et ita sine verbo prædicato, cui contra verbum prædicatum & incarnatum, in leges diuinas & humanas sacriliga & cruenta potestas? Quis omnium, cui vel primo statim intuitu, clara apertaque experientia comprobante, non occurrat, in tantum abesse Bestiam à verbo prædicato, in quantū ab ordinatione et verbis scripturæ abest, humana, de qua est, quod erroneus ille sit cultus, traditio? Facillimum factu, nisi infinitorum Theologorum, de hac quæstione felicissimè, et eruditissimè, et inuictissimè pius publicatus labor ab incepto persuadendo nos auocaret, falsitatem sententiæ illius referre & refutare: sed ne actum agere videamur, et post Homerum Iliada, missis illis, hoc tantum addendum hîc duximus, conari Bestiam, id, quod, dum ita est, non est, & sacratissimorum Imperatorum nostrorum rescriptis confirmare.

Ioh.Paul.Windek Theolog. iureconsult. lib. 1 .loc. 1.

Traditiones namque suas vt defendat, et ita id quod falsò adstruit, quasi iustum et verum venditet, à iure ciuili ad Theologiam arguere non veretur. Sic enim sub rubrica: De Traditionibus Ecclesiasticis eas obseruandas esse, licet non contineantur in expresso Verbo Dei scripto:

In republica, inquit, *Ciuili, eadem est vis CONSVETVDINVM approbatarum & legum SCRIPTARVM. l. diuturna. ff. de legib. Hinc Cæsares sanxerunt, quatuor Concilijs Oecumenicis primis indubitatam fidem adhibendam esse, licet permulta eorum decreta in canone scripturarum non expressè contineantur C. de hær. & Manich. l. quicunque* &c. Sed quid inde? Esto enim in republ. & politia consuetudinē pro lege esse et legis vim obtinere, quid tamē exinde ad Theologiam? Annon in iure certissima regula: A separatis ad separata nihil inferri? Quid quod & sententia illa vsque quaque vera non est, cum alio in loco rescriptum sit, *consuetudinis vsusque longaui non vilem quidem esse authoritatem, verum non vsque adeò sui valituram momento, vt aut rationem vincat aut legem?* Quid quod & Augustinus: *Veritate manifestata*, inquit, *cedat consuetudo veritati*: Et iterum: *Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Et Gregorius: *Si consuetudinem fortassis opponas, aduertendum quod Dominus dicit: Ego sum veritas & vita: non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas.* Et certè, vt Cypriani vtamur sententia, *Qualibet consuetudo, quantumuis vetusta quantumuis vulgata, veritati omninò est postponenda, & vsus, qui veritati est contrarius, abolendus.*

L. 20. in pr. ff. minor.

L. 2. C. quæ sit long. consuet.

Lib. 3. de Baptism. cont. Donat. c. 5. & est in c. 4. d. 8. p. 1. c. 8.

c. 5. d. 8. p. 1.

Quid quod ille ipse textus quem pro suæ sententiæ adducit confirmatione, rei in quam adducitur, ita contrarius est, vt ipsam planè et omninò refutet. Quare enim ibidem consuetudo pro lege est? aut quibus in causis consuetudo pro lege est? Annon quia non tam legis quam consuetudinis, & non tam consuetudinis quam legis potestas omnis & authoritas à republ. est? Sic enim Ictus Iulianus: *Quid*, inquit, *interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis?* In quibus autem? *In his*, inquit idem Ictus, *quæ ex non scripto descendunt*, seu, vt est alibi, *cum deficit*

L. 32. § 1. ff. LL.

D. *lex.*

lex. Licitum enim eſt populo aut ſcripto iure vti, aut non ſcripto. Si igitur et traditio obſeruanda ex præſcripto huius iuris, pro iure ſeu pro verbo ſcripto, neceſſarium omninò eſt, vt ſimul ſequatur & ſcripturam ab Eccleſia eſſe, vt in quo nihil interſit ſcripto an non ſcripto Eccleſia voluntatem ſuam declaret. Sed ſi ſcriptura dependet ab Eccleſia, vnde dependebit Eccleſia? A verbo dependere Eccleſiam conſtat.
1.Cor. 1. v. 2. Si à verbo, annon Eccleſiæ credendum propter verbum? Si
2.Cor. 1. v. 1. propter verbū, annon magis verbo, cum propter quod vnūquodque tale, illud magis tale. Si magis verbo, nullis certè
Gala. 1. v. 2. Deut. 4 v. 2. traditionibus, cum ex verbo conſtet, verbo tantum vti debe-
& Deut. 12. ver. 2. re Eccleſiam ſcripto, non autem non ſcripto ſeu traditione. Nulla igitur ex iure contra verbum traditio eſt, quia, & quod in iure à iure permiſſum eſt, id in ſcriptura à ſcriptura prohibitum eſt.

Sed quatuor Concilia Oecumenica pro traditione ſtabili-
L. Quicunque. C. hær. & Manich. enda obijciet, eorumq; ab imperatoribus factam obſeruantiæ ſanctionem. Fatemur ſanctionem illam obſeruandam, & concilia. Num autem quia ſunt tradititia? Quod ſcriptura expreſsè confirmat tradititium non eſt. Non igitur quia Oecumenicum eſt, ſed quia verbo Dei conſentaneum eſt. Magis itaque verbo Dei quam Concilio, in tantum, vt quod ex præſcripto verbi Dei non eſt, nec Oecumenicum, nec credendum, ſed Beſtiæ, quæ non eſt & tamen eſt adſcribendum. Hoc igitur poſito et probato, quo iure, aut quo priuilegio, aut qua conceſsione Beſtia, ius triplicis coronæ, duplicis gladij vſum, et poſſeſsionē ſuperioritatis in omnes reges et principes tuebitur? Num iure diuino? Negat ſcriptura, et eiuſdem ſaniores interpretes: teſtatur omnis iam mundus. Et rectè. Si enim vult eſſe rex, neceſſum eſt, vt talis ſit, qualis fuit & eſt is, à quo falsò Beſtia affirmat ſibi coronam & ſuperioritatem in reges omnes et principes eſſe conceſsam. Qualis autem ille Rex? Rex Verbum, Rex verbi ſeu veritatis.

tis. Quæ corona Regis huius, qui gladius? prædicatio & ita verbum, & quidem in tantum, vt ipsum Verbum incarnatum, sine verbo prædicato non poterat esse Rex. Sic enim dicit ipsum Verbum: *Rex sum, & in hoc natus, vt veritatẽ dicam*. Si igitur ipsum Verbum incarnatum, sine verbo prædicato, verbi prædicator, Rex esse non poterat, quid de nostro triplicato dicendum erit rege, quem & sine verbo incarnato, et sine verbo prædicato, et sine verbo prædicante esse, & ita non esse, ex ipso conspiratorio eiusdẽ facto plus quàm manifestè euicimus? Num iure humano? Hîc tentabit quid, vt fidem faciat. Nullis enim dicet se subiectum legibus, sed se habere potestatem super omnia iura. Quo autem iuris fundamento? Proprium ius admittendum non est, cum plus æquo in causa propria sibi fauorabilis sit iudex, habeatq; omnia iura in scrinio pectoris sui. Ius ergo ciuile videamus ex quo id quod dicit stabilire conatur. Si Iustiniano, arguit, licet dicere Deũ principi leges subiecisse, cur idẽ non liceret pontifici. Et si Iustiniano & Ictis licitum est adstruere, principẽ legib. esse solutum, quare hoc idem denegaretur pontifici? Sic enim ille qui supra, sub rubr: de Pontificis Romani priuilegiis, et quod ea iuri ciuili non repugnent: n. 3. vbi rubricæ sic conceptæ: Papam habere potestatem super omnia iura: subiicit: *c. 1. de constit. lib. 6. Romanus pontifex omnia iura censetur habere in scrinio pectoris. Hoc idem senserunt Honorius et Theodosius impp. gl. in c. præterea. dist. 23. dicit: Papam habere omnia iura in scrinio pectoris præsumptiuè seu per interpretationem. Nec mirum, cum iuxta vulgatissimas leges sub tit. ff. & C. de LL. eius est interpretari cuius est condere. Si Iustiniano Cæsari dicere licuit in Auth. de Consul. §. fin. Deum principi leges subiecisse, &, eum esse hominum legẽ animatam, cur non etiam Pontifici liceret dicere eum plenam potestatem habere super leges. Huc faciunt & pulcrè per consequentiam trahi possunt quæ scribuntur C. de legib. & Con-*

Ioh. 18. v. 37.

Windek. d. lib. 1. loc. 7.

 stit.

stit. l. digna vox. &c. Et mox: Quod princeps vult hoc est lex. ff. constit. princip. l. 1. Hoc etiam Papæ licet. Et iterum d. loco. sub rubr: Papam nullis subiectũ esse iuribus: 25. *q.* 1. *Romana sedes,* inquit, *vim dat iuribus, ac nullis Papa subditus est iuribus. Idem sentit ius ciuile principem solutum esse legibus. l. princeps. ff. de legib. Nihilominus Vrbanus, Zosimus, Marcellus & Hormisda Papæ in Epistolis decretalibus profitentur se leges Romanæ Ecclesiæ tenaciter seruare. Digna enim est vox maiestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri, l. digna vox. C. de legib. vbi memorabilem hanc sententiam Theodosius & Valentinus impp. protulerunt.* Egregia sanè probandi ratio, tacendo magis quam loquendo refutanda, vt quæ præter principij petitionis morbum, à baculo stante ad victoriam Pompeij concludit. Quare enim Reges & Imperatores hoc de se? Quia à Deo sunt, quibus omnis anima ab Apostolo subiecta esse iubetur; non, vt falsò adstruit Bestia et sequaces, à se, aut mediatè, à nuda voluntate populi semper et in perpetuum ambulatoria, sed immediatè à Deo. Quod cum in Bestia cesset, & nullo iure probari posśit, quid impedit quo minus contrarium statuamus, maximè cum constet eo ipso dum Imperatores de seipsis tãtum loquuntur suisque iuribus & priuilegiis, id ipsum quod de se in altero negare? Quid prohibebit, quo minus eandem legibus imperatorum iure hoc nostro rectè subiiciamus. Licet enim ipse imperator statuat oportere sacras regulas pro legibus valere, num tamen exinde planè nullis legibus nullisque iuribus pontificem & clerum statuet subiectum? Tantum certè hoc abest à dictis verbis, vt absolutè contrarium exinde sequatur, et legibus imperatorum Bestia cum omni clero subiiciatur. Annon enim imperator d. Nouell. 6. in pr. expresśè præmittit differentiam inter sacerdotium & imperium? Annon vtriusque propriam & differentem à subiecto suo proprio ponit definitionem, dũ inquit: *Illud* (sacerdotium)

Ro. 13. v. 1.

Nouell. *6.* c. 1 §. 8. in fin.

d. Nouell. *6.* in præfat.

um) *diuinis ministrans, hoc*, (imperium) *humanis præsidens, ac diligentiam exhibens.*

Si igitur imperium humanis præsidet, & diligentiam exhibet, quomodo ius illud ad Bestiam, aut ad clerum, quorum officiũ est, vt pro imperatoribus & imperio semper Deo supplicent? Quid quoq; imperator d. Nouella statuit, aut ordinat? Sacerdotum honestatem. Si sacerdotum, sacerdotum erit Dominus. Cui enim alij quam subdito legem damus? cum nihil aliud sit lex, quam communis reipubl. sponsio. Et l. 1. ff. LL. in non subditum facta lex nulla est & elusoria, cum extra prouinciam ius dicenti impunè non pareatur. Tacemus quod dicto loco, imperator sibi tribuat maximam sollicitudinem circa vera Dei dogmata. Nec subterfugiũ hîc aliquod inueniet lubrica illa aduersarij calliditas, excipiens, & differentiam constituens inter ministerialiter & principaliter, seu inter executiuè & authoritatiuè seu decisiuè. Tam enim firmus, tãq; solidus in contrarium locus ipse est, friuola illa confictaque subterfugij nebula vel momento dissipetur. *Nos* enim, inquit, *sancimus: & quidem legem: nos non permittimus; nos volumus: hoc omnino quærimus super Deo amabilibus Episcopis, sicut etiam prius duabus nostris constitutionibus sancitum est.* Num vt pontificis executor, apparitor, vel minister? Mutus de hoc textus. Instabit, imperatorem ibidem loqui de sacris regulis. Fatemur. Sed quid inde? Num sacras leges nominat quales ita sunt, constitutæ scilicet à pontifice? Non sanè: sed quia ipse imperator sequitur iustos et laudandos, et adorandos inspectores & ministros Dei verbi Apostolos et sanctos patres. Et eo ipso quod imperator dicit: *& à se præcedentibus imperatoribus & à se ipso rectè dictum: Oportere sacras regulas pro legibus obseruari*: quid aliud innuit, quã vt ostendat, regularum illarũ obseruantiam liberi fuisse arbitrij, non necessitatis: nec valuisse, legibus imperatoriis nisi fuissent confirmatæ. Qui autem horum maior? Pro confirmante &

d.Nou.6.c.1.in pr.& § 5. & §. 7.

d. Nou.6. in præf. in fin.

d.c.1.

ratio

ratio pugnat & lex, vsq; adeo, vt confirmanti legis illius plenè iure competat defensio, & violatæ legis contra violantem ad eum pertineat executio? Quod ipsum et in hoc imperatoris edicto plus quàm manifestissimum: *Neque ciuiles*, inquit, *leges delictum* (contra dictam legem commissum) *inultum relinquent*. Sed videamus iam aliam, qua pro superioritate sua stabilienda Bestia vtitur, iuris nostri rationem, quæ ex Nouell. 83. §. 1. desumta, vbi habetur quod *tunc licentia concedatur clericis ad ciuiles iudices pergere, quando non fuerit possibile Deo amabili Episcopo negotium decidere*. Sed hîc satis mirari nequeo, quo imprudentiæ aut impudentiæ prolapsi Bestiæ defensores, non verentur cæci, pro sententiæ suæ iniustissimæ cōfirmatione adducere id, quod è diametro eidem est contrarium. Quis enim, quæso, nisi omni planè ratione destitutus, omni sensu priuatus, omni intellectu exutus argueret: Quia tum demum res controuersa deferebatur ad Mosem, quando iudices inferiores rem finire non poterāt. Ergo inferiores illi iudices sunt superiores Mose. Quod idē est in Mose & Deo. Imo eo ipso annon apertissimè euincitur contrarium, eos scilicet esse subiectos? A quo enim ad quem fit causæ deuolutio? scripturæ oracula adspice, iuris consulta consule, & scriptura & iure adstipulante à minore ad maiorem, ab inferiore ad superiorem. Quis quoq; maior, an is qui dat priuilegium, an is qui accipit? illum esse qui dat, nemo est qui ambigat. Si igitur ex hoc ipso textu priuilegium esse id quod clerici exempti sunt à foro laico in causis ciuilibus, (in causis ciuilibus inquam, esse aliud namq; in criminalibus ipse textus adfirmat) demonstrauerimus, annon simul ex eodem priuilegio, clericos adhuc ratione superioritatis subiectos esse imperatoribus, euicerimus? Quid ni. Si igitur est priuilegium, vt esse ipse apertissimè locus probat, (expressè namque dicit: *petiti sumus à Menna Deo amabili Archiepiscopo, huius felicissimæ ciuitatis vniuersali patriarcha,*

Exod. 18. v. 26.

d. v. 26. & totū tit. ff. de appoll.

l. 16. ff. LL.

d. Nou. 83. in præfat.

cta, reuerendissimis clericis hoc dare priuilegium, vt si quis habeat adversus eos quamlibet pecuniariam causam, prius ad Deo amabilem Archiepiscopum pergat sub quo constitutus est, & interpellet eum, & ex non scripto iudicium mereatur) necessum sane omninò erit, vt præsupponamus ius aliquod, cuius respectu priuilegium est priuilegium. Est enim priuilegiũ ius, contra cõmunem iuris rationẽ ex causa legitima ab imperatore, vel alio potestatẽ faciendi id habente indultũ. Si ius, ius aut diuinum, aut humanum. Siue autem diuinum, siue humanum, fatendum, vt, si priuilegium illud sit iuris diuini, olim fuisse eundem priuilegiatum subiectum iuri illi. Si iuris humani, idem dicendum, cum exemptum esse necessariò velit aliquid de quo dici queat, ex eo exemptũ esse: cum natura priuatio præsupponat habitũ præcedentẽ. Iuris diuini an sit, iam nostri propositi inquirere non est, cũ satis cõstet, nõ esse. De iure igitur humano. Esse autẽ de iure humano ipse aduersarius adstruit, & textus dictæ Nouellæ plenissimè probat. Sequetur igitur exemptum olim fuisse sub iure humano. Si ergo sub iure humano fuit, quomodo igitur iam iure humano superior esse poterit? Num priuilegii hæc vis, vt priuilegiatũ superiorem cõstituat priuilegianti? Refragatur priuilegii vis, repugnat effectus, negat legislatoris illius singularis intentio. Eximit namq; eundem cui priuilegiũ conceditur à iure illo, quod sibi commune est cum reliquis, superiorem non facit, imò magis obligat, & maiorem obedientiã requirit à priuilegiato exhibendam priuilegianti. Quo enim maius beneficium, eo maior & arctior obligatio. Et quid si adderemus iustè, quia iure approbante, cum omne priuilegium cõcedatur ratione alicuius causæ, vel propter causam aliquam præcedentem, quod cessante illa causa priuilegium sit reuocatorium? iuris namq; certissimi dispositio: quod *: cessante ratione constitutionis cesset & ipsa constitutio.* Et alibi ex ratione relatum: *cessante causa cessare effectum.*

d.l. 16. & l. 14. ff. LL.

d.l. 14. d.l. 16.

d.l. 16. ff. LL.

l. seruis. 38. C. Episc. & cler. c. etsi Christus 26. de iureiur.

Obe-

Obediētia igitur singularis & maiestati imperatoriæ debita obseruantia cum fuerit causa huius priuilegiatæ cōcessionis: eadem autem iam cessante, vtpote priuilegiato priuilegio suo à iure sibi concesso cōtra idem ius ingratissimè abutente, cessabit & ipsum priuilegium, ipsoq; iure potestas redibit ad imperatorem suprema, in ipsos priuilegiatos, quæ tamen potestas propter priuilegium illud in suspenso tantum fuit, sublata nunquam fuit. Sed mittamus Bestiam illam, quæ non est, & tamen est: est, si de facto parricidali et iniustissima iuris et iustitiæ omnis, tam diuinæ quam humanæ, euersione et tyrannica vsurpatione loquamur : et tamen propter illa omnia non est, quia non solum sine iure, sed etiam sine Verbo incarnato, sine verbo prædicato, sine verbo prædicante est, vt iam abundè satis monstratum (Deect enim mortuos relinquere mortuis) et ad nostrum redeamus, qui erat, qui est, et qui futurus est, eidemq; gratas, pro salute regis, pro pace regionis, pro incremento religionis, pro die et quiete hac, in die & quiete hac manus tendamus, deuotè precantes vt in hac die et in hac requie in æternum firmiter permaneamus. Deus enim ipse dies nostra et quies est. Deus ipse in hac die nostra quies, in hac quiete nostra dies est. Hæc hæc enim est quies quam fecit Dominus, ne contristemur aut cōturbemur in ea. Hæc hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus et lætemur in ea.

FINIS.